Theologia polemica.

Ariani

Smalcii (Valentini): Refutatio disputationis de persona Christi, quam Albertus Grawerus habuit a. 1612.

Racoviae typis Sternacianis. 1615.

REFUTATIO DISPUTATIONIS
De
PERSONA CHRISTI,

Quam
ALBERTUS GRAWERUS SS. Theol: D.,
& in Academia Ienensi Professor
publicus,
ibidem habuit Anno 1612.

Autore
VALENTINO SMALCIO GOTHANO
Cœtus Racoviensis Ministro.

RACOVIÆ,
Typis Sternacianis,
Anno 1615.

Refutatio Disputationis D. Alberti Grawer De Persona Christi.

Quæstionem constituit Gravverus talem: *An Christus sit æternus Deus*, per æternum intelligens eum, qui principio caret, & partem affirmantem defendendam suscipit. Præfatur autem thes:3., *se id non ἁπλῶς inde probare, quòd in sacris literis expreßè Deus appelletur Christus. scire se enim, non omnem, qui in sacra scriptura Deus appellatur (cùm vocabulum Deus non sit proprium sed appellativum) æternum Deum eße, sed inde, quòd ejusmodi phrasi Deus dicatur, quæ non nisi æterno Deo in sacris literis tribuitur. Veluti Rom: 9.5.: ex quibus est Christus, quod ad carnem, qui est supra omnia Deus benedictus in secula. Amen. Hac autem loquutione æternum Deum notari, apparere ait thes: 4. ex simili locutione, quæ legitur Rom:1. 25.* Sed, quàm infirmus sit primus hic conflictus, expendat cordatus lector. Ex eo enim, quòd aliquid de Christo dicatur, quod de Deo æterno etiam dicitur, colligit, Christum esse æternum Deum, quo vix aliquid ineptius esse, agnoscet, qui istam argumentationem in syllogismum redigere voluerit. Quis enim non videt, posse unum & idem de duobus diverso respectu prædicari? de uno, quòd natura id habeat, de altero quòd ex gratia. Quis non videt, posse eum etiam Deum super omnia, & *benedictum in secula appellari*, qui tamen talis ab æterno non fuit? Hæc enim locutio Pauli qualitatem ejus, de quo loquitur, describit: Thesis autem de eo, quod ad quantitatem pertinet, agit. Idem de duobus diverso respectu dici potest.

Hinc Gravverus statim ad ea descendit refutanda, quæ a nostris de hoc loco dici solent. Et primùm quidem recenset, quòd quidam ex nostris de Deo Patre hunc locum intelligant. Quod, etiamsi nos non planè probemus, non est tamen rejiciendum ut aliquid absurdum vel per se falsum; sed quia alter sensus meliùs quàm hic quadrare proposito videatur. Itaque omisso illo priori, quem tamen Vir & eruditissimus & minimè suspectus Erasmus sequitur, videamus, quid adversus alterum dicat Gravverus. Fatemur igitur, Christum esse Deum benedictum in secula: sed negamus eum esse Deum æternum. Nec enim hîc exprimitur, an talis ex se vel ab alio: nec an vox *omnia* universaliter sit accipienda (si modò de omnibus rebus, & non de personis potiùs sermo est. Tam enim *omnes*, quàm *omnia*, vox Græca converti potest.) Potest autem tam is Deus esse, benedictus in se-

 cula,

cula, qui talis est ex Deo vel Dei gratia, quàm is, qui ex seipso talis est. Modus enim habendi aliquid, ipsam habitionem (ut sic loquar) non adimit. Potest etiam is dici super omnia Deus benedictus in secula, cui omnia ab alio sunt subjecta. De hoc verò, ut Paulus loquitur, manifestum est, quòd id ita intelligendum sit, ut excipiatur is, qui omnia ei subjecit. Ad hoc jam sic respondet Gravverus thes: 11. *Si ego hîc Photiniano respondere voluero, quòd ex aliis locis probari possit, Christũ suâ naturâ & non tantùm dono Dei esse super omnia, & idem ex aliis scripturæ locis probare contendero, mox igitur ex hoc Paulino dicto Deitatem Christi æternam demonstrari non posse clamabit, propterea quòd ex illis dictis, in quibus Christum ex se & suâ naturâ super omnia esse docetur, Deitas Christi probabitur, non autem ex hoc.* Ægrè scilicet fert Gravverus, nos isto modo cum eo agere, quem nemo eruditus improbare potest: Nempe frustra adduci locum, in quo id non habeatur, quod est in quæstione, & præstare, alium locum afferre, in quo id, quod in quæstione est, vel disertè habeatur, vel ex quo illud deduci possit.

1. Cor: 15. 27.

Thes: 12. est: *Si respondero, nec de Patre dici posse, quòd absolutè sit super omnia. Cùm non sit super seipsum, mox audire cogar, quòd absolutè sit super omnia præter seipsum: at filium non esse absolutè præter seipsum super omnia, cùm non sit supra Patrem.* Cur verò id audire non debeat Gravverus, quod est verissimum? Deum enim esse super omnia, quæcunque extra ipsum sunt, ipsa cogit ratio: Christum verò esse super omnia, quæ extra ipsum sunt, excepto Patre, ipsa sunt Apostoli verba.

At Gravverus hoc improbat. Sic enim ait thes: 13. *Quid itaque dicendum? Primum hoc, quòd adversarii sibiipsis non constant, ac sibi invicem contradicunt, ac propterea in expositione hujus loci certi non sunt.* Thes: 14. *Contradicunt sibi invicem, quia quidam de Patre accipi posse largiuntur, quidam vero negant. Non constant sibi ipsis: cùm enim de Patre accipiunt, veri & æterni Dei descriptionem his verbis contineri largiuntur, imò largiri nolentes volentes coguntur: cum verò de filio accipiunt, æterni Dei notationem esse inficiantur. At unde tanta diversitas? ubi scripturæ certitudo? Sicciné scriptura exponenda, ut una eademque phrasis Patri tributa significet æternum Deum; Filio autem assignata, non? Cur, quæso, eadem phrasis de Patre accepta, notat æternum Deum, de Filio autem accepta, licet prorsus non sit mutata, non denotet? Hac ratione ad literam probare, quòd Christus sit æternus Deus, difficillimum foret, si tanta scripturæ ambiguitas ac ejusmodi cothurnus admitti deberet.* Sed frustra hæc omnia disserit Gravverus, & valdè ineptè.

ineptè. Nec enim nobis ipsis contradicimus, nec nobis non constamus. Quæ enim in eo contradictio esse potest, si dicamus, verba quædam de Patre intelligi posse, & deinde concesso eo, quòd de Filio intelligi possint, negemus, ex illis id deduci, quod deducere nituntur adversarii? Hac ratione omnes, qui in argumentis solvendis utramque præmissarum negant, contradictionis vitio laborare dici possunt, quod est absurdissimum. Quomodo porrò is sibi non constat, qui verbis, diverso respectu consideratis, diversum attribuit sensum? Nonné hoc ipsa permittit, imò cogit sana ratio, præsertim si id sacra etiam scriptura comprobet, ut hîc fieri videmus. Hæc enim docet, Deum Patrem esse æternum Deum: Christum verò Deum a Deo patre effectum. Quanquam captiosè dicitur, hæc verba Pauli esse notationem æterni Dei. Nec enim ex his verbis probari potest ulla ratione, Deum Patrem esse æternum, quia sit Deus super omnia benedictus in secula: sed si de Patre accipiantur, conceditur, ea de æterno Deo dici, quia aliunde constet, Deum Patrem esse æternum, quod, si aliunde non constaret, ex his verbis colligi necessariò minimè posset. Ineptissimum autem est, si ita scriptura explicetur, interrogare, ubi scripturæ certitudo? Quasi diversa scripturæ intelligentia scripturæ certitudini derogare possit, cùm potiùs diversa scripturæ intelligentia scripturæ ipsius certitudinem asserere videatur. quæ scilicet sive hoc sive illo modo intelligatur, tamen nihil falsi contineat. Quod verò incommodum prospicit Gravverus, si hac ratione scripturam explicemus, nempe difficillimum fore, ad literam probare, quòd Christus sit æternus Deus, id ipsi quidem dolere potest, at veritati nihil obest. Non tantùm enim difficillimum, sed prorsus impossibile est, non dicam ad literam, sed nec per ullam rectam consequentiam probare, Christum esse æternum vel ab æterno Deum.

Thes: 15. est: *Deinde sciendum, quòd argumenti nostri vis, non sit nudè & crudè hæc, vel quòd Christus sit Deus; probè enim novimus, non omnem, qui quoquomodo in scripturis Deus appellatur, æternum Deum esse: vel, quod Christus est super omnia: didicimus enim & hoc, quòd Christus in tempore à Deo Patre sit exaltatus longè super omnia Eph: 1. v. 21. sed tota phrasis, præcipuè autem quòd dicitur Deus benedictus: quotiescunque enim aliàs in sacris, Deus benedictus, appellatur, toties æternus Deus intelligitur (vide Luc: 1. v. 68. 2. Cor. 1. v: 3. & cap: 11. v. 31. Eph: 1. v: 3. & 1. Pet: 1. v. 3.)* In angustias semetipsum conjicit Gravverus magnas. Nam si nec ex voce *Deus*, nec ex verbis *super omnia*, argumentum deducit, jam, unde illud deducat, vix habiturus est, ut in sequenti thesi videbimus. Nunc dico, falli & fallere Gravverum, dum

ait, quotiescunque aliàs in sacris Deus benedictus appellatur, toties æternum Deum intelligi. Non ideo enim Deus æternus intelligitur, quia de eo dicatur, quòd sit Deus benedictus: sed quia de Deo benedicto ea dicuntur, quæ evincunt, eum esse Deũ æternũ, qualia sunt, vel *Dominus Deus Israëlis*, vel *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*. Hic enim est verè æternus Deus. Quod si addita non essent, ex solis verbis *Deus benedictus*, æternus Deus colligi nunquam posset. Quanquam alio etiam sensu dicitur de Deo in locis a Gravvero citatis (si excipias eum, qui est 2. Cor: 11.31.) Deus benedictus, quàm in hoc loco Rom: 9. Nam Luc: 1. 2. Cor: 1. Ephes: 1. & 1. Pet: 1. vox *Benedictus* prædicati locum habet, & tantundem valet, ac si dictum esset, Benedictus sit, hoc est concelebrandus est Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi: At in loco Rom: 9. & 2. Cor: 11. vox *benedictus*, cum voce *Deus* per appositionem juncta est, & ejus qui Deus appellatur, singularis quædam commendatio est.

Thes: 16. est: *Sic igitur argumentum nostrum formo: Quicunque est Deus benedictus super omnia in secula, is est æternus Deus: hæc enim est nota æterni Dei Rom: 1. v: 25. Atqui Christus Rom: 9. v: 5. dicitur Deus benedictus super omnia in secula. Ergo Christus est æternus Deus. Pro probatione majoris propositionis rursus quæro: cur illa particula Rom: 1. v: 25. æterni Dei sit descriptio, quando Patri tribuitur, non autem cum de Filio Rom: 9. v: 5. usurpatur: Sicuti enim ibi est descriptio creatoris, sic etiam hîc Filii.* Negamus majorem, & apertam consequentis in ea fallaciam committi dicimus. Paulus enim de Deo æterno dicit, eum esse Deum benedictum in secula: at non dicit, quicunque est Deus benedictus in secula, eum esse æternum Deum. Itaque non quærendum erat Gravvero, quare particula illa Rom: 1. sit æterni Dei descriptio, quando Patri tribuitur, non autem, cum de filio Rom: 9. usurpatur; sed docendum erat, hanc phrasin non posse nisi de Patre accipi. Ad quæstionem autem sic respondemus: Rom: 1. verba, *qui est benedictus in secula*, æternum Deum significant, quia de creatore, vel de eo, qui creavit, disertè prædicantur; Rom: autem 9. eadem verba, æternum Deum non significare dicimus, quia de Christo, qui est secundùm carnem ex patribus, dicta sunt. Vt igitur certum est, eum, qui creavit, esse Deum æternum: sic is, qui ex patribus oriundus est, æternus Deus esse nullo modo potest. Potest autem uterque, hoc est tam Deus æternus, quàm Deus ex patribus oriundus, esse benedictus in secula, alter naturâ, alter Dei dono.

Thes: 17. est: *Addo & hoc, quòd licet scriptura passim tradat, quòd Pater Filium seu Christum exaltaverit super omnia, nullibi tamen dicitur,*

tur, quòd eum fecerit Deum super omnia: cum igitur super omnia constitutus esse dicitur, hominem seu humanitatem ipsius notari largimur: cùm verò non simpliciter super omnia; sed Deus & quidem Deus benedictus in secula super omnia esse dicitur, Deitatem æternam notari contendimus, quod ex iis locis apparet, in quibus de Patre hæc locutio effertur. Sed & hoc frustra totum est. Primùm Gravverus id, quod est in principio, petit. Nunc enim quæstio instituta est principalis de eo, an Christus sit æternus Deus: & tamen Gravverus eo ipso scripturas explicat, quòd Christus sit Deus, nempe æternus. Deinde etiamsi scriptura nusquam ῥητῶς diceret, quòd Deus Pater Christum fecerit Deum super omnia: tamen ideo dici non posset, eum non esse factum talem a Deo Patre. Satis enim est, si aliis verbis id scriptura dicat, quæ his vel æquipolleant, vel ex quibus hæc pendeant. Talia autem sunt, cùm dicitur: Deum omnia subjecisse sub pedes ejus: dedisse illi omnem potestatem in cælo & in terra; donavisse illi nomen, quod [*est*] supra omne nomen, & his similia. De quo enim ista prædicantur, is non potest non esse Deus super omnia benedictus in secula. Denique quid est aliud, quòd Deus Iesum fecit Christum & Dominum, quàm quòd eum Deum fecerit? Deitas enim Iesu, in eo consistit tantùm, & ulteriùs non extenditur, quàm quòd est Christus & Dominus. Vnde etiam creberrimè, cùm summa ejus dignitas asseritur, Christus, vel Dominus, & unus Dominus appellatur: imò ex eo & iam adversarii colligunt, eum esse Deum unum, quia sit Dominus unus. Hilarius certè & Ambrosius in loco Act: 2. loco Domini, legunt *Dei*, hoc modo; Fecit eum Deum & Christum.

1. Cor: 15.27. Matth: 28.18. Phil: 2. 9. Act: 2.36. Hilar: lib: 5. de Trinitate. Ambros: lib: 1. de fide ad Gratianum.

Et hactenus quidem argumentatio fuit Gravveri: Nunc ad ea refutanda accedit, quæ nos adversus sententiam ejus afferre solemus, & primùm *obstrepere ait Catechismum nostrum.* Ergo non possumus absque offensione Gravveri contradicere illi, quantumvis eum errare persuasum habeamus? Sed, hoc misso, videamus, quomodo nostra confutet. Dicimus, duos futuros naturâ Deos, si Christus etiam sit æternus Deus, & si is apud alterum fuerit. Respondet Gravverus th: 19. hoc modo: *Absurdum non est, si rectè intelligatur: non sequitur, Duos esse naturâ Deos, quorum unus naturâ Deus, fuerit apud alterum naturâ Deum, quod absurdum & impium esse ipsi ultrò fatemur: sed hoc tantùm sequitur: duos esse, hoc est, duas personas esse, quarum non quælibet sit peculiaris naturâ Deus, sed quæ sint numero unus idemque naturâ Deus, & quarum una fuerit apud alteram, quod absurdum non est.* At istud, quod rectè intelligi vult Gravverus, intelligi non potest: imò falsum esse intelligitur. Nam si duæ sint per-

sonæ

sonæ æquè divinæ, jam duæ erunt substantiæ æquè divinæ. Cùm persona aliud nihil sit, quàm substantia individua intelligens, &c. Si verò sunt duæ substantiæ æquè divinæ, nonné erunt duo naturâ Dii, quod impium & blasphemum esse ultrò fatetur Gravverus. Non animadvertit scilicet Gravverus, se in hac ipsa sua responsione crassè iterum principium petere, dum statuit, in Deo naturam vel substantiam differre a persona, & personas esse plures quàm naturas. Cùm tamen multiplicatis personis, substantias etiam multiplicari, prorsus necesse sit.

Deinde dicimus, Apostolum affirmare, quòd hic Deus benedictus, sit ex patribus. Deum verò æternum ex patribus esse non posse. Gravverus primùm insultat nobis, quòd de Christo locum hunc quidam intelligamus, quidam de Patre commodè exponi posse asseramus, & ait: *En consensum!* Sed, quàm sit puerilis ista insultatio, paulò antè dictum fuit. Deinde sic respondet thes: 21. *Absurdum est attribui ei, qui naturâ est Deus, & non simul homo. Christus autem est naturâ quidem Deus; sed & simul naturâ homo. Citra igitur omnem absurditatem Christo, quâ homo est, attribui poterit, quòd sit ex Patribus, licet quâ æternus Deus, ex Patribus non sit.* Egregia sanè disputandi ratio, eo ipso, quod in controversia est, simpliciter prolato, controversiam dirimere velle. Si Christus est naturâ Deus: Si est æternus Deus, cur hîc quæritur: An Christus sit æternus Deus? Et tamen, nisi hac ratione nobiscum agant adversarii omnes, homines alioquin doctissimi & acuti, nihil unquam habebunt, quod adversum nos proferant. Vnde ad oculum videre est, eos jam a veritate victos esse: cedere autem hactenus illi nolle.

Porrò quid nos ad istam distinctionem tollendam afferamus, recenset Gravverus thes. 22. Nempe duas essentias seu naturas proprietatibus differentes, veluti est mortalis & immortalis, principium habens & principio carens, mutabilis & immutabilis, nullo modo in una persona uniri posse. Tales autem esse divinam & humanam naturam. Et ad id respondet thes: 23. *Majorem præcisè negamus, non solùm, quia ab adversariis nullâ vel verisimili saltem ratione probatur: sed etiam, quia exemplo animæ & corporis, quæ in unâ personâ hominis uniuntur, solidè refutantur.* Ego verò dico, non nostrum ad distinctionem Gravveri tollendam argumentum, sed probationem illius distinctionis, quam nos jure rejicimus, afferendam fuisse Gravvero. Quod enim hoc est imperium, distinctionem aliquam ad argumentum dissolvendum nudè proponere, & ita adversarium contemnere potiùs quàm refellere? Dico iterum, Gravverum parum rectè argumentum

gumentum nostrum concepisse. Nam non de essentiis vel naturis, quæ proprietatibus sint differentes, ut habet Gravverus, sed de naturis vel essentiis, quæ proprietatibus sint contrariæ, disertè loquimur. Dico porrò injuriâ Majorem a Gravvero negari, & probationem ejus a nobis postulari. Nititur enim eo canone, qui longè est usitatissimus & verissimus, quòd contraria invicem se tollant: Nititur etiam eo, quòd manifesta foret contradictio, si dicatur, vel duas contrarias, vel duas etiam diversas substantias, de uno & eodem subjecto absolutè prædicari, atque hac ratione simul in eo esse posse. Tot enim res diversas esse necesse est, quot sunt diversæ formæ essentiales. Dico denique, non nisi desperationem ea verba Gravvero expressisse, quòd exemplo animæ & corporis, quæ in una hominis persona uniantur, solidè refutetur nostra ista Major. Nunc enim nobis sermo est de substantiis, ut ita dicam, perfectis, quarum quælibet per se consistit, quales in Christo duas non consistere, ipsimet adversarii fatentur, dum negant, Christum esse perfectum hominem & humanam personam. Itaque frustra Gravverus exemplum de anima & corpore huc adducit & defendit, vel nostram etiam hanc responsionem refutare conatur, dum ait thes: 25. *Respondeo, est Elenchus κατά τι. Negatio modi non tollit rem ipsam. Licet anima & corpus aliter uniantur, attamen uniuntur, quod sufficit: non enim modum unionis argumentum adversarii; sed ipsam unionem impugnabat: Ostensum autem fuit exemplo animæ & corporis, duas naturas seu eßentias proprietatibus discrepantes in una persona uniri poße, quod sufficit.* Quid enim facilius fuit, quàm cogitare, nos non adeo bardos esse, qui nesciamus, duas substantias contrarias *suo modo* posse ad unam personam constituendam concurrere, tanquam duo ad tertium quid constituendum: hoc enim pueri in scholis nôrunt: sed dum dicimus, duas contrarias substantias non posse in unam personam coire, hoc ita intelligere, ut scilicet utraque essentialiter de illa prædicetur, & utraque per se subsistat, licet id in Catechesi, ubi brevitati studetur, non addiderimus. Non sufficit igitur ostendisse, posse *quodam modo* duas contrarias substantias ad unam personam constituendam concurrere: sed docendum præterea est, si validum debet esse adversariorum exemplum, eo modo concurrere, ad Christum constituendum, Deum & hominem, quo concurrit anima & corpus ad constituendum hominem.

Fallit autem Gravverus, dum thes: 26. sic ait: *Quæ autem ratio consequentiæ? anima & corpus aliter uniuntur in una persona, quàm nostræ Ecclesiæ duas naturas in Christo uniri dicunt. Ergo duæ naturæ in Christo non uniuntur: an non & sic? Equus non est talis animalis species,*

B

cies, qualis homo. Ergo Equus non est animal? Negata specie non tollitur genus. Nec enim nos sumus, qui ita argumentamur: sed Gravverus est cum suis, qui, demonstraturus vel declaraturus rem, ut sacris literis ita etiam rationi contrariam, quomodo scilicet uniantur duæ naturæ in Christo, exemplum unionis animæ & corporis affert. Quod nos repellimus, ostensa differentia tali, inter hanc in homine animæ & corporis, & illam in Christo duarum naturarum unionem. Quod ad exemplum repellendum an sufficiat, judicent eruditi.

Porrò, cùm dicimus ad id, quod modò indicatum est, explicandum, duas naturas, quarum quælibet personam faciat, non posse uniri in una natura aliter, quàm ut sint duæ personæ, sic respondet Gravverus thes: 28. *Respondeo: naturam humanam, in Christo peculiarem aut per se personam facere aut eße, nunquam docuerunt nostræ Ecclesiæ, nec neceßum est, ut doceant, quicquid Catechismus pag: 57. dicat.* At hoc est Gravvere, quod causæ vestræ prodit vitiositatem. Nam si Christus verus homo est, quomodo non erit persona humana? & qui illud de Christo prædicat, quomodo non necessariò etiam hoc de illo prędicare tenetur? cum nulla scriptura, nulla figura, nullus loquendi modus patiatur, ut is non sit persona humana, qui homo est: Imò personâ, homo est. Et qui Christum veram humanam personam esse negat, is verum etiam hominem eum esse, ut neget necesse est, & sic tantùm non negat, Iesum esse Christum. Quod istud est Satanæ, in excogitando Filio Dei alio præter & ante eum, qui ex virgine Maria natus fuit, astutiæ & audaciæ plenum stratagema. Quantò verò præstabat dicere, Iesum esse Deum, non naturâ sed dignitate. hoc enim & sacræ literæ & sana ratio permittit, quàm affirmando, Christum esse Deum naturâ, negare eum esse humanam personam, & proinde verum hominem? quo summa Deo gloria, humano verò generi summa adimitur consolatio, de quo aliàs.

Docemus etiam, sacris literis repugnare divinam in Christo naturam. Hæ enim tradunt, unum tantùm esse Deum naturâ, eumque Patrem esse disertè testantur, Ioh: 17. 3. 1. Cor: 8. 6. Ephes: 4. 4. Respondet Gravverus thes. 30. in hunc modum: *unum eße Eßentiâ concedimus; sed non personis. In locis allegatis Filius non excluditur, nisi & ex loco 1. Cor: 8. Patrem non eße Dominum simili jure probare voluerimus.* Digna sanè Gravveri eruditione responsio. Nos probamus, Christum non habere divinam naturam, & proinde non esse plures unâ personas divinas, adductis evidentissimis sacrarum literarum testimoniis: Gravverus respondet, Deum esse unum non personis. Quid ineptius in disputando dici potest? Filium non excludi in locis

allegatis,

allegatis, obscurè dictum est. Non excluditur quidem simpliciter. nam & filii cognitio ad vitam æternam necessaria est: sed, ab uno Deo excludi eum, nimis disertè ipsa verba testantur. Nam in primo dicitur, Vitam æternam esse in eo, si quis cognoscat Patrem, qui est solus verus Deus, & si quis cognoscat etiam Iesum Christum, quem Pater ille misit. Vbi, ut is, qui est missus, non potest esse, ille solus verus Deus vel Pater: sic vicissim ille qui est solus verus Deus, nullo modo esse potest is, quem ille misit. In secundo loco, ut Pater, Dominus ille, per quem omnia & nos per ipsum, esse nequit: sic nec Iesus Christus, Pater ille ex quo omnia & nos in ipsum. Non potest quidem probari ex hoc loco, Patrem non esse Dominum, quod pueriliter objicit Gravverus: sed eum non esse, suo modo, illum & talem Dominum, de quo & quali Paulus hic loquitur, jure probari potest. Nunquam enim Deus Pater, Dominus per quem omnia, scilicet aliquis alius faciat, & per quem nos, ad Deum scilicet adducamur, quòd utrumque de Christo dici potest & debet, ullo modo esse potest.

Objicere nos secundò ait thes: 31. quòd Christus sit naturâ homo. Ergo non esse naturâ Deum. Ipse verò statim sic respondet: *Vtrumque verum est de Christo, propter unionem personalem.* Sed quàm calva sint ista omnia, jam puto ex iis constare, quæ paulò ante diximus. Nos enim, dum dicimus, Christum esse naturâ hominem, ita id accipimus, quòd Christus sit vera persona humana. Hoc enim & ratio postulat, & sacræ literæ testantur. Nec unquam auditum fuit, eum esse verum & naturâ hominem, qui non habeat propriam subsistentiam & personam: Imo monstrum hominis is prorsus censendus est, qui, homo cùm nominetur, persona humana non sit. posita verò Christi persona humana, eò quòd homo sit, parumne constat, impossibile esse, ut idem Christus sit personâ Deus?

Tertiò nos ex scripturis ait objicere, quòd Christus omnia, quæ habet, ex dono habet, & respondet, *secundùm carnem assumtam: non verò divinam naturam.* Sed & objectionem nostram malè concepit Gravverus: & futilis est ad eam allata responsio. Nam nos non simpliciter dicimus, Christum omnia habere ex dono, sed addimus, Patris. Hinc enim necessariò sequitur, eum non esse eundem naturâ Deum, qui Pater est. Quid enim opus, vel quomodo possibile fuisset, ut Christus aliquid ab alia persona dono acciperet, si idem esset Deus, qui est illa persona, a qua accipit? poterat enim hoc a seipso accipere, imò non poterat non accipere, vel etiam habere, quod accepit. Responsio verò superiorum similis est. Nos naturâ divinam argumentis impugnamus: Gravverus argumenta nostra affirmatione nuda natu-

rarum solvit. Quod ibi, ubi rerum ipse potitur, licere ei videmus: at inter eos, qui magisterio illius non sunt subditi, vix aliquid exsibilatione dignius excogitari potest.

Quartò objicientes nos facit, Christum sua opera nullibi sibi ipsi, sed Patri suo accepta referre, & respondet: *& sibi & Patri, & quidem toties, quoties se Patri æqualem esse docet.* Sed & objectio malè iterum formata est. non enim dicimus absolutè, Christum non sibi ipsi opera sua accepta referre, sed cum additione hac expressa, *nec ulli suæ divinæ naturæ.* non nescimus enim, Christum sibi etiam opera sua tribuere, quatenus potestate in se manente, datâ licet, ea fecit: Et responsio ineptissima est. Potuit enim Christus sibi tribuere opera, & sic, æqualem se esse Deo, dicere, quatenus ipse ea virtute Patris fecit: nec tamen divinæ in se naturæ, ut jam diximus. Imò si Christus secundùm divinam naturam opera fecisset, nunquam dicere debuisset aut potuisset, se illa ex se non facere. Nam quod aliquis potest ex seipso secundùm partem vel naturam unam, eamque præcipuam, id de se simpliciter negare non potest, & ista naturarum distinctio nullum prorsus, in hujusmodi negantibus propositionibus, locum habet. Et hactenus unum est Gravveri argumentum.

Alterum est thes: 34: *Quicunque ita vocatur Deus & Filius Dei, ut Deo Patri sit æqualis, is est verus & æternus Deus. Atqui Christus ita vocatur Deus & Filius Dei, ut sit æqualis Deo Patri. Ioh: 5. v: 18. Phil: 2. v: 6. fatentibus etiam ipsis adversariis, Francisco Davidis in disput: Transylv: act: 3. diei & act: 4. diei litera N 3. Christophoro Ostorodo disput: Germanicâ Tradelio opposita part: 1. cap: 7. pag: 49. & part: 2. cap: 11. pag: 190. Ergo Christus est verus & æternus Deus.* Hujus syllogismi majorem nos negamus directè. Ad minorem etiam respondemus, Christum esse Patri æqualem non simpliciter, sed secundùm quid. Videamus, tùm quomodo majorem suam Gravverus comprobet, tùm an limitatio minoris, quam nos afferimus, vera sit. Probat ergo majorem suam Gravverus thes: 36. his verbis: *Nulla enim creatura creatori, nec finitum infinito æquale esse potest.* At hoc axioma iterum falsitatis arguimus. nec enim in sacris literis, nec in sana ratione fundatum est. Illæ enim testantur, Iesum Nazarenum, qui Patri usque ad mortem fuit obediens, Deo esse æqualem: Hæc verò non prohibet, quominus creatura sit creatori æqualis, id est, nulla est in eo contradictio, si dicatur creatura æqualis esse creatori, si ita velit creator: Imo hoc est negare quodammodo creatorem, si quis neget, eum posse aliquem sibi æqualem facere.

Iam antequam ad minoris examinationem descendamus, videndum est,

dum est, quid adversus argumentum nostrum, quód ex æqualitate Christi cum Deo deducimus, respondeat Gravverus. Argumentum nostrum est: Christus est ęqualis Deo summo: Ergo non est Deus summus. Nemo enim sibiipsi æqualis esse potest. Responsio Gravveri est thes: 36. *Respondeo: ludunt adversarii in voce, Deus, quæ quandoq; communiter accepta significat omnes tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ut Deut: 6. v: 4. quandoque autem limitatè certam personam, vel Patrem duntaxat, ut Ioh: 3. v: 17. vel Filium duntaxat, 1. Timoth: 3. v: 16. quandoque Spiritum sanctum. Cum autem dicitur: Filius est æqualis Deo, Pater intelligitur. Atque sic largimur consequentiam. Filius est æqualis Deo Patri. Ergo non est Deus Pater. Interim tamen Deus est, quia æqualis Patri. Nulla enim creatura creatori, nec finitum infinito æquale esse potest.* Expende lector benevole, uter nostrum ludat in vocabulo *Deus*. Num is, qui dicit, vocem *Deus* unam tantùm naturam & personam Patris significare: num is, qui dicit, vocem *Deus*, jam communiter tres personas, Patrem Filium & Spiritum sanctum, jam limitatè certam personam, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum significare? Nonné hoc est rationi nuncium remittere, unum tres, & tres unum constituere? Expende porrò, an non is crasse principium petat, qui, cùm disputatur, utrum præter Deum Patrem sit aliqua persona divina, quæ naturam divinam habeat; & argumenta, quæ id falsum esse demonstrent, afferuntur, ea ita solvat, quòd in Deo sint plures personæ? Expende deniq; qualis sit distinctionis istius absurdæ probatio. Voce *Deus* cõmuniter accepta, omnes tres personas significari ait Deut: 6. 4. At ibi nulla istius rei mentio, nulla verisimilitudo, nullum vestigium. Sic enim verba habent: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Pudeat igitur Gravverum istius audaciæ & temeritatis. Personam Patris significari voce *Deus* credimus & contendimus: Filium etiam Deum appellari credimus, sed alia ratione, quàm Patrem. Christus enim Deus tunc, cùm vox ista subjecti locum habet, nusquam appellatur: & quando Deus appellatur, vox ista articulo in Græco caret, vel saltem tale adjunctum habet, & ita construitur, ut vis articuli frangatur. In loco 1. Tim: 3. 16. Christum non appellari Deum, ex refutatione vindiciarum Incarnationis ad oculum, ut spero, patebit. Spiritum autem sanctum, Deum, sive eo modo, quo Pater, sive eo, quo Christus, Deus appellatur, appellari, planè falsum est. Itaque Gravverus etiam nullum locum ascripsit, in quo Spiritus sanctus Deus appelletur, quod tamen facere tenebatur, nisi dogma Trinitatis suæ suspectum reddere voluit. Nam si Spiritus sanctus, Deus non appellatur uspiam, quomodo persona divina esse po-

Quomodo vox Deus Christo tribuatur.

Spiritus sanctus Deus non appellatur.

test? Si Spiritus sanctus persona divina non est, quomodo salva erit Gravveri Trinitas? Sed hac de re nuper plura scripsimus in refutatione libelli Martini Smiglecii Iesuitæ, cui titulū fecit, *Verbum Caro factū est*, cap:28. Hactenus vidimus, quod ad Majorem argumenti Gravveriani pertinet: Nunc minorem etiam expendamus. Dicimus, Christum esse æqualem Deo Patri, non simpliciter, sed secundum quid. idque explicamus etiam, ubi opus est, nempe potentiâ, quâ Christus tum in terris degens, tum in cælos exaltatus, ea potuit & potest præstare, quæ solus Deus præstare potest, cujus consequens fuit & est, divinus cultus, qui Christo & olim tributus fuit, & nunc etiam tribuitur. Verum autem id esse, docemus inter alia perplurima argumenta, illis etiam, quæ Gravverus recenset, quòd Pater sit Christo major, & quòd filius a seipso nihil facere potuerit. Majoritas enim & æqualitas absoluta, contraria sunt: De eo verò, qui Deo absolutè æqualis esset, dici non posset, eum nihil a seipso facere. Ad hæc quid respondet Gravverus? ait thes:39: *cùm Deus simpliciter & in infinitum sit omni creatura superior, impossibile est, ut ulla creatura Deo creatori aliqua in parte sit æqualis.* At hæc mera affirmatio est, sacris literis & sanæ rationi contraria, ut suprà docuimus. Quomodo igitur eam ita nobis obtrudit importunè Gravverus? Ait iterum thes:40: *Deinde: Si Filius Deo Patri est æqualis in operando: Ergò etiam in potentia: omnis enim operatio præsupponit potentiam, & nullus effectus est superior suâ causâ univocâ. Cum itaque ab adversariis ipsis Patri & Christo tribuatur idem effectus, & quidem longè alia ratione, quàm Apostolis, qui Deo Patri nullibi æquales dicuntur, necessariò etiam Filius cum Patre ejusdem potentiæ erit: Si ejusdem potentiæ, etiam ejusdem eßentiæ, siquidem potentia divina nihil aliud est, quàm Eßentia divina: unde Christus Ioh: 10. v: 30. inquit: Ego & Pater unum sumus. Causa æqualitatis non est, quod Filius hanc potestatem a se habet, sed quod eandem prorsus & totam habet, quàm & Pater, ita ut quæcunque agit Pater, eadem & Filius ὁμοίως agat.* Concedimus, Christum æqualem esse Patri potentiâ, & quidem longè alia ratione, quàm Apostoli; addo etiam, quàm omnes alii dii tum terrestres tum cælestes: Sed negamus, eum esse æqualem prorsus. Effectus operationis æqualis est: at causa operationis inæqualis. Istam porrò sophisticationem, *Si ejusdem potentiæ, etiam ejusdem eßentiæ*, ita detegimus. Si ejusdem *prorsus* potentiæ esset Christus, esset etiam ejusdem essentiæ. At quia non ejusdem *prorsus* est potentiæ, sed tantùm ejusdem generis, cujus ea est, quæ in Deo inest, potentiæ est Christus, ideò nihil valet ista Gravveri ratiocinatio. Potentiam divinam nihil aliud esse quàm essentiam,

ſentiam, parum rectè dicitur. nam potentia Dei communicari poteſt, eſſentia verò minimè: &, ſi rectiſſimè dictum eſſet, tunc demum verum eſt, quando de potentia Dei abſolutè accepta, quam nos in Chriſto ineſſe negamus, ſermo eſt. Verba Chriſti Ioh: 10. *Ego & Pater unum ſumus*, huc nihil faciunt, tum quòd non neceſſe ſit, ea de unitate potentiæ accipi: tum quòd non conſequatur, ex unitate potentiæ, unitas eſſentiæ. Poſſunt enim duo unum eſſe potentiâ, quatenus alter eam habet naturâ, alter dono. Et quia eſſentia Dei numero una tantùm eſt, impoſſibile prorſus cenſendum eſt, poſſe aliquem alium potentiæ divinæ *abſolutè* eſſe participem. Vnde conſtat, capriosè conjungi a Gravvero eandem & totam. Poſſunt enim habere potentiam eandem genere, duo: at, ſi totam haberent uterque, jam eandem numero haberent, quod contradictionem implicat.

His ita expeditis, reſpondet ad ea Gravverus, quæ ipſemet noſtro nomine ſibi objecerat. & primùm quod attinet ad id, quod Pater major filio dicitur, ſic ſe expedit theſ: 41: *Nec obſtat, quòd Pater Filio major dicitur: ſecundùm quid enim id eſt accipiendum, nempe, de humana filii natura. Quia enim contradicentia prædicata de Chriſto prædicantur, quæ non niſi poſitis duabus in eo naturis conciliari poßunt, idcirco easdem in Chriſto etiam agnoſcere cogimur.* At ego dico: Gravverum ſtrenuè principium petere. Nunc enim quæritur, an Chriſtus aliam, quàm humanam naturam habeat: & tamen Gravverus dicit, de Chriſto aliquid affirmari, ſecundùm hanc vel illam naturam. Præterea, quomodo Chriſtus dicere potuit, Patrem ſe eſſe majorem, vel, quod idem eſt, ſe non eſſe tam magnum, ut Pater eſt, ſi reſpectu naturæ unius, ejusque potiſſimæ, tam magnus fuit, ut Pater? Quod enim de parte una, eaque potiſſima verum eſt, id ſimpliciter de toto negari non poteſt. Vt v: 8. id quod de anima hominis verum eſt, nempe, eam meditari, id de homine ipſo ſimpliciter negari non poteſt, etiamſi corpori, illud meditari, non competat. Regula verò iſta Gravveri prorſus erronea cenſenda eſt. Vt enim nulla contradicentia de Chriſto prædicantur uſpiam: ſic nec duas in Chriſto naturas agnoſcere cogimur. Opponi autem iſti regulæ hæc multò rectior poteſt: Quia Chriſtus naturâ homo eſt, perſona humana ut ſit neceſſe eſt, & ſic perſona divina eſſe non poteſt: Quæ verò de Chriſto prædicantur in ſpeciem contraria, ea omnia conciliari poſſunt, ſi ſimul in Chriſto conſideretur natura humana, & divinitas muneris.

Ad alterum, quòd filius a ſeipſo nihil facere poſſit, ſic reſpondet theſ: 42. *Quod verò ipſe Salvator dixit: Filius non poteſt à ſeipſo quicquam facere, niſi quod Patrem viderit facientem, non ſignificat aliquam*

imbecilli-

imbecillitatem; sed potiùs summam & conjunctissimam operationis Patris & Filii unitatem. thes: 43. *Est igitur paralogismus, quando concluditur: Filius à seipso nihil potest facere, nisi quod Patrem viderit facientem. Ergo Filius non est æqualis Patri. Ergo Filius Patre ἁπλῶς est inferior. Causa enim quod Salvator sic locutus fuit, non est aliqua inæqualitas; sed ταυτότης τῆς θεότητος. quia enim unam numero Essentiam & potentiam habent Pater & Filius, idcircò nihil potest facere, quod non faciat Pater.* thes: 44. *Quando verò dicit, nisi quod viderit Patrem facientem, partim originem suam à Patre denotat, partim missionem suam contra diabolicas Iudæorum calumnias, quasi à Diabolo esset, convenienter urget, non verò imitationem quandam innuit.* At hîc, præter verba, nihil est. Nos verò non explicationem Gravveri nunc curamus, sed argumenta expectamus. Tanta est autem vis hujus locutionis, ut nullo modo infringi possit, ob rationem paulò antè allatam, & suprà etiam indicatam. Quòd scilicet negari non possit simpliciter de aliquo id, quod respectu partis ipsius, ejusque potissimæ verum est: ideoque Christus dicere nullo modo potuerit, se nihil a seipso facere posse, si omnia a seipso facere, respectu divinæ naturæ, potuisset. Sed adhibet alia adhuc Gravverus, quibus enervet vim istorum verborum. Sic enim ait thes: 45.: *Præterea phrasis hæc, à seipso agere, ambigua est: à seipso enim agere dicitur aliquis, vel quando ea potestate agit, quæ ipsi ita propria & naturalis est, ut eam a nullo alio habeat: vel, quando propriâ & naturali potentiâ agit, licet eam ab alio acceperit, & hoc quidam vocant per se agere. Posteriori modo etiam Filius à seipso agere seu operari dicitur, quia per se & à nemine adjutus agit.* thes: 46. *Hinc apparet, quod & non à seipso agere bifariam dicatur: vel, propriâ quidem potentiâ; sed ab alio acceptâ agere: vel, non propriâ; sed aliena virtute agere. Priori modo Filius dicitur non à seipso agere; sed non posteriori.* thes: 47. *Fatemur itaque maximè absurdum esse, summum Deum nihil posteriori modo à seipso posse facere, sic enim non esset omnipotens; sed impotens.* Hæc argutia Gravveri est, quæ quàm vera aut firma sit, videamus. Falsa est, quia verba *à seipso* nulla ratione ei competunt, qui quocunque modo potestatem ea, quæ facit, faciendi, ab alio accepit: Imò tacita contradictio in eo latet. Nam qui a seipso facit, is a nemine accepit quicquam, nec a quoquam dependet: qui verò potentiâ acceptâ aliquid agit, is hoc ipso ab alio dependet, & a seipso facere aliquid dici nequit. Quod animadvertens fortasse Gravverus, dicit, quosdam hoc vocare *per se* agere. Sed hîc non, quid quidam sentiant, sed quid veritati consentaneum sit, expendendum est. Differunt autem *per se*

& *a seipso*

& a *seipso* facere. potest enim per se agere is etiam, qui ab alio dependet, quatenus scilicet potestatem sibi gratuitò concessam habet. Hoc modo etiam Apostoli per se miracula fecisse dici possunt, qui tamen in omnibus illis perpetrandis a Christo dependebant. Præter ea si ad Christum hæc accommodentur, crassa est in illis petitio principii. Sumit enim Gravverus pro concesso, quòd detur talis modus, quo Christus naturaliter a Deo Patre accipere aliquid potuerit, quod nūc in controversia est. Porrò dum dicitur, *non a seipso agere*, significare propriâ quidem potentiâ, sed ab alio acceptâ, agere, eædem latent fallaciæ. Nam a seipso, & acceptâ potentiâ agere aliquid, invicem pugnant: &, si Christum accepisse potentiam a Deo Patre alio modo, quàm per gratiam, dicatur, ipsissima petitio principii est. Denique captiosum est dicere, eum non omnipotentem, sed impotentem fore, qui non propria, sed aliena virtute agat. Potest enim virtus, quæ alicujus alterius antea erat, & eatenus aliena dici potest, ita cum altero communicari, ut ejus propria fiat, & ita aliena esse suo modo desinat. Vnde constat, falsò etiam eum dici impotentem, qui aliena virtute agat. Nam quocunque modo agat, agit tamen. Agere autem & impotentem esse, contraria sunt. Omnipotens autem is etiam dici potest, qui virtute secum communicata, & ita propria effecta, agit, quatenus ea potentia communicata talis & tanta est, quæ ad omnia extendatur. Qualis est Christi potentia. Hæc enim, postea quam Christo communicata est, ita illius propria est, ut ipsius Dei: & in ea omnia extenditur, quæcunq; ad salutem humani generis quoquo modo pertinent, addita ista cautione, quam ipse Apostolus alicubi addit: *Cùm dicit, omnia ei eße subjecta, manifestum est, quòd extra eum, qui ipsi subjecit omnia.* 1 Cor. 15. 27.

Porrò objicit nostro nomine Gravverus, manere tamen inæqualitatem. Quia Pater simpliciter a seipso: Filius non simpliciter a seipso agere dicatur, & respondet thes: 49. hoc modo: *Nulla inæqualitas. Has diversas loquendi formulas scriptura de Patre & Filio usurpat, non ad exprimendam inæqualitatem Eßentiæ aut potentiæ; sed partim propter personarum originem, quia, nimirum, Pater a nullo; Filius autem à Patre genitus est, partim propter missionem, quia mißus est à Patre ad redimendum genus humanum.* At ego dico: Non rationes explicandas fuisse, quare his diversis loquendi modis Scriptura de Deo Patre & Filio utatur, sed ostendendum, quomodo non semper sint inæquales illi, de quorum altero dicitur, eum nihil posse a seipso facere, de altero verò illud dici, sine blasphemia, non potest? Quomodo hoc ipso inæqualitas naturæ non

innuitur? Quanquam ipsæ etiam rationes, quas affert Gravverus, nihil huc faciunt. Vtraque enim fallissima est, eo sensu, quo eam accipit Gravverus. Nulla enim datur ex essentia Dei generatio: & missio, qualem credit Gravverus, absurda prorsus est. Ex sensu autem nostro & ipsius Christianæ religionis veritatis, quia Filius a Patre originem habet, & ab eo genitus est; & tandem in mundum missus, contrarium ejus, quod statuit Gravverus, sequitur. Nam gigni & mitti ab aliquo, non permittit, ut is, qui gignitur & mittitur, sit ejusdem numero essentiæ, cum eo, qui gignit aut mittit.

Thes: 50. est: *Hoc ipsum comprobare videtur Christus ipse, quando sibiipsi ita propriam potestatem attribuit, ut à seipso etiam agere dicatur, cùm Ioh: 10. v: 18. inquit: nemo tollit animam meam à me; sed ego depono eam ἀπ' ἐμαυτοῦ à meipso: Potestatem habeo deponendi eam & rursus assumendi*(textus habet, *accipiendi*)*eam. Hoc præceptum accepi à Patre meo. Hîc Christus utrumq; dicit: & quod à Patre potestatem acceperit, &, quod à seipso animam deponat, & quod potestatem habeat.* Sed hoc exemplum dissimile est illi, de quo hactenus egimus. Nam Ioh: 5. Christus ait, se nihil posse autoritate propria facere, sed omnia facere Dei jussu, ut ostenderet, injuriâ se culpari, qui sabbatho ægrotum sanasset: Ioh: verò 10. ait, se nihil facere coactum, sed sponte sua se animam ponere. Hoc enim postulant verba precedentia: *Nemo tollit animam meam a me:* quorum antithesis sunt hæc: *ego eam pono a meipso.*

Thes: 51. est: *Huc pertinet, quod Christus dicit: omnia quæ Pater habet mea sunt, Ioh: 16. v: 15. non quidem eo modo, quo omnia, quæ maritus habet, dicuntur eße uxoris, ut adversarius Anonymus pag: 277. in Refutatione Wuieki nugatur, sed ita, ut sit in Patre & Pater in ipso, Ioh: 14. v: 10. cum Patre omnia operetur, Ioh: 5. v: 19. ut, qui ipsum videt, videat & Patrem Ioh: 14. v: 9. ac cum Patre sit unum, Ioh: 10. v: 30. quæ omnia simul sumta, summam Patris & filii unitatem & Eßentiæ & operationis exprimunt.* Non negamus, ista Christi verba, Ioh: 16. huc etiam pertinere; concedere etiam possumus, reliqua, quæ citat Gravverus, loca, ad ea explicanda facere; & ista omnia simul sumta, summam Patris & Filii unitatem exprimere: sed non in essentia. In hac enim nulla cujusquã datur cum Deo unitas. Iam enim numero una esse non posset. Restat igitur, Christum ita conjunctum esse cum Deo, ut res creata cum creatore conjuncta esse potest perfectissimè, & non nugari eum, qui, explicans Christi verba, *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt*, dicit, hoc modo etiam dici posse, Omnia, quæ habet maritus, esse uxoris, ad declarandam scilicet arctissimam inter utrumque conjunctionem.

Sed ad-

Sed adhuc unam nostram affert objectionem Gravverus, quæ talis est: Pater a nullo est, Filius autē ab aliquo, nempe a Patre. Ergo filius non est absolutè & ἁπλῶς æqualis Patri, & proinde nec summus Deus. Hanc verò sic refutare conatur thes:53. *Respondeo: committitur Elenchus causæ. Nam quoquomodo ab alio aliquid habere, non efficit inæqualitatem, aliàs nos non æqualiter eßemus homines, ut parentes nostri, à quibus per generationem quicquid naturæ & facultatum humanarum habemus, accepimus; sed ab alio per gratiam & modo simpliciter inferiori habere, quàm quo habet is, à quo accepit, inæqualitatem introducit. Christus autem, quoad divinam naturam, per gratiam non accepit potentiam immensam, quæ ne quidem humanæ naturæ propter unionem personalem attribui potuisset, nisi Christus fuisset æterna & divina hypostasis. Vt igitur nos æquales sumus parentibus nostris, licet per generationem naturam humanam ab illis acceperimus: sic etiam Filius Patri quoad eßentiam & potentiam æqualis esse potest, licet eandem ab ipso per nativitatem æternam modo imperscrutabili acceperit.* Hîc velim Gravverum considerare, quid sit ex mente Aristotelis Elenchus non causæ ut causæ. Nam Elenchus causæ nullus est. Animadvertet autem pro sua eruditione, longè aliam esse istius Elenchi naturam, quàm ea est, cùm quis, loco cujusvis veræ causæ, falsam affert. Sed ad rem: Ipsemet Gravverus responsione sua docuit, argumentum nostrum esse firmissimum. Moveri enim non potest, nisi dicatur id, quod est controversum & falsissimum, nempe Christum non per gratiam, sed per æternam nativitatem modo imperscrutabili, potentiam suam consecutum esse. Iam verò, cùm ista generatio æterna, nec in scripturis uspiam extet expressa, (unde cognitionem illius ad salutem necessariam non esse constat) nec ex illis justâ consequentiâ deduci possit (unde etiam apparet, eam ad salutem nec esse utilem, nec veram) & rationi denique sanæ repugnet (unde constat, eam prorsus esse absurdam:) Scripturæ verò sacræ disertè affirment: Deum Christo ex gratia, certo tempore, certa de causa, nempe propter obedientiam ad mortem crucis, donasse omnem potentiam, & nomen, quod (est) super omne nomen, quis, nisi mente captus, non intelligit, istud dogma Generationis æternæ, tanquam futile, rejiciendum: hoc verò, quod scriptura sacra expresse tradit, sequendum esse? Nos homines a parentibus omnia accipere, & æqualiter esse homines, ut illi sunt, non est mirum. essentia enim vel natura nostra humana non est una numero, sed specie, ideoque cum aliis communicari potest: at essentia vel natura Dei, non specie, sed numero una est, ideoque cum aliis communicari nequit, & nemo æqualiter absolutè ita Deus esse

potest, ut Deus ille summus est. Contradictoria enim sunt, Vnum numero esse, & communicari cum alio, vel æquale esse.

Thes:54. ait, *de reliquis adversariorum exceptionibus, quibus hoc argumentum ab æqualitate Patris & Filii infringere conantur, alibi fusiùs & commodiùs.* Sed, ut hîc nihil profecit Gravverus, sic etiam alibi nihil proficiet, quamdiu verum erit, Deum numero unum esse. Hoc enim stante, nemo æqualis absolutè illi esse potest. Qui verò Deo æqualis est, sed non absolutè, is Deus ille unus & summus esse nullo modo potest. Sed & nos alibi fusiùs de ista æqualitate Christi cum Deo egimus, in refutatione scilicet Monstrorum a Smiglecio Iesuita confictorum.

Sed jam, tertium prodeat argumentum Gravveri. Quod thes: 55. continetur his verbis: *Quicunque absolutè dicitur primus & novissimus, is est verus & æternus Deus, ut patet ex Esaia cap: 44. v: 6 & 7. quis similis mei? & cap:48. v: 12. & 13. Ego primus & ego novissimus: manus quoque mea fundavit terram. Atqui Christus absolutè dicitur primus & novissimus, imò principium & finis Apoc:1. v: 11. & 22. v:13. Ergo Christus est verus & æternus Deus.* Hujus argumenti utramq; præmissam negamus. Nam multa absolutè dicuntur, quæ tamen restringenda esse, nemo non intelligit: Et Christus, primus & novissimus cum tali additione appellatur, quæ nullo modo permittit, ut absolutè talis sit. Additur enim post verba, *Ego sum primus & novissimus*, semel, *Ego vivens & fui mortuus, & ecce vivens sum in secula seculorum.* Et iterum, *Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus & revixit.* Certè enim is, qui mortuus fuit, nullo modo absolutè primus & novissimus esse potest. Ait quidem thes:56. Gravverus, hoc nihil obstare: sed rationem idoneam non affert ullam. Sic enim ulteriùs ait: *Nam hæc ut distinctè ac copulativè de Christo proferuntur, sic demonstrari non potest, quod necessariò sint limitatio vel declaratio præcedentis versiculi 17. seu quod indicent, cujus respectu Christus dicatur primus & novissimus. Idem respondeo ad v:8. cap:2. Hoc namque duntaxat vult: Ego qui fui mortuus, sum etiam idem, qui est primus & novissimus.* Sed nec nos dicimus, indicari illis verbis, *& vivens & fui mortuus*, cujus respectu Christus dicatur primus & novissimus. Novimus enim, aliis de causis Christum ita appellari. Nihilominus, quia Christus, qui primus & novissimus appellatur, ita describitur, *& fui mortuus*, vel, *qui fuit mortuus*, firmissimè hinc concludi affirmamus, eum, qui primus & novissimus, quacunque de causa, est appellatus, non posse esse absolutè primum & novissimum. Nemo enim, nisi homo & persona humana, mori potuit. Homo autem vel persona humana, primus & novissi-

vissimus esse absolutè non potest. Ait porrò, nos excipere, alio sensu de Deo dictum esse, quòd sit primus & novissimus, & alio de Christo, & ad id ita respondet: *verùm hanc suam exceptionem nulla ratione probant, ideóque eadem facilitate rejicitur, quâ profertur.* At ego non necesse esse ajo, ut sensum, quo de Christo dicatur, eum esse primum & novissimum, explicemus, nedum ut probemus. Satis enim est, si constet, istud de Christo absolutè dici non posse. Quis verò est, qui non intelligat, Christum dici primum & novissimum, respectu illius, quòd eum Christum, hoc est, unctum Dei ac regem reverâ constituit. Hoc autem est salus humani generis. Ad hanc enim perficiendam Christus in mundum missus & exaltatus est.

Sed addit, nescio qua methodo (hoc enim novum argumentum est, & tamen thes: 60. demum quartum numerat) Gravverus thes: 58. nos fateri verbis illis, *Dominus, qui est, qui erat, & qui futurus est*, v: 4. cap: 1. notari æternum Deum: hæc verò eadem verba de Christo efferri v: 8. Hoc nos negare ait Gravverus, sed absque ratione: & addit thes: 59. *Quæ enim ratio consequentiæ? vers: 4. de Deo Patre accipiuntur: Ergo vers: 8. de Christo non sunt prolata. De Christo autem vers: 8. usurpari, non colligimus ex vocula ἐρχόμενος; sed ex præced: vers: 7. quem de Christo loqui nemo negare poterit, nec ulla vel verisimili saltem conjectura probari potest, quod mutatio personæ sit facta.* At non ita nos argumentamur, ut hîc ait Gravverus; nec ita loquitur Anonymus in Refutatione Bellarmini & Wujeki: sed sensus est & vis argumenti. Is qui erat, est, & futurus est, distinguitur v: 4. disertè & absolutè a Iesu Christo, quantus quantus est. Ergo non potest Iesus Christus esse is, qui erat, qui est & qui futurus est. Nam absolutè ab aliquo distingui, & eundem cum eo esse, contraria sunt. Idque in omnibus locis valere debet, quibus a Deo distinguitur Christus, quantus quantus est, ut scilicet ea, quæ de Deo tunc prædicantur, nullo modo possint Christo competere. Vt, exempli causâ: Deus ille unus, respectu Christi, quantus quantus est, appellatur Pater ille, ex quo omnia & nos in illum; vel is, qui sedet in throno, in hac Apocalypsi. Ergò Christus nulla ratione, is ex quo omnia & nos in ipsum; & sedens in throno, appellari potest. Iam enim essent communia ista verba, & differentiam alicujus ab alio constituere non possent. Deinde verò nonné jure regerere Gravvero possum: Quæ hæc est ratio cōsequentiæ? Versiculo 17. de Christo sermo est, Ergo etiam octavo? Ergo ob solam contiguitatem talis sensus alicui loco est affingendus, qui verbis expressis & analogiæ religionis repugnet? Quid verò usitatius est ista persona-

 rum

rum commutatione in literis sacris; præsertim in scriptis Prophetarum, ubi plures unâ personæ introducuntur? Vide inf: cap:22. v: 12, 13. Ibi enim jam angelus, jam Iohannes loquentes introducuntur, absque ulla mutationis nota. Et rursus v: 16, 17, 18. 20. Et nonné illius mutationis indicium est, quòd v: 7. Iohannes ipse aliquid de Christo loquatur: versiculo autem 8. introducat eum, quem ibi describit, de semetipso loquentem, *Ego sum*, &c. Quemadmodum etiam v: 9. seipsum introducit. Cui adde, quòd de eo, quem v: 8. ita describit, *qui est, & qui erat, & qui futurus est*, dicit, *Dominus Deus ille omnipotens*, quæ verba nusquam Christo tributa leguntur, Dei autem Patris propria sunt nomina & attributa.

Sed nunc quartum argumentum Gravveri audiamus. Sic igitur ait thes: 60. *Quicunque creavit cælum & terram, is est verus & æternus Deus, fatentibus ipsis adversariis. Atqui Filius etiam creavit cælum & terram, Ebr: 1. v: 2. & 10. Ergo Christus est æternus Deus.* & argumento ita proposito ait thes: 61. *Quæ contra Minoris propositionis probationem ab adversariis adferri solent, non solùm in conflictu disputationis; sed etiam brevi, Deo volente, fusiùs & commodiùs excutiemus, sicuti & reliqua Deitatem Christi æternam stabilientia argumenta, quæ brevitatis gratiâ hîc omittuntur, non quod plura non sint, sed quod plura hoc loco commodè tractari nequeunt.* Ergo & nos hîc subsistemus, si dixerimus, Minorem argumenti hujus ab adversariis ῥητῶς ex universo codice novi Fœderis, qui de Christo conscriptus est, ne semel quidem posse probari. Vnde saltem hoc constat, dogma hoc ad salutem nullo modo esse necessarium. Quæ verò afferuntur deductiones, quàm sint infirmæ, jam a nostris sufficientissimè, Dei gratia, alibi demonstratum est, & nuper etiam a me repetitum, tum in responsione ad Monstra a Smiglecio Iesuita conficta, tum in refutatione libelli ejusdem Iesuitæ, cui titulum fecit, *Verbum caro factum est*. Summa errorum est. 1. Quòd creationem pro veteri accipiunt adversarii, cùm nemo nesciat, hac voce, simpliciter etiã accepta, sæpenumero novam creationem describi. 2. Vocem *omnia*, universaliter accipiunt, quam tamen ferè semper restringendam esse omnes norunt. 3. Vocem *mundi*, de mundo hoc aspectabili accipiunt, cùm tamen & de solis hominibus & de futuro mundo intelligi possit. 4. Secula absolutè posita, pro præteritis accipiunt, cùm nihil vetet, quominus de futuris intelligantur, imò de futuris intelligenda ea esse, ipsa rerum complexio cogat. 5. Ex eo, quod *per Christum* omnia facta, vel creata, vel quòd Deus *per ipsum* secula fecerit, colligunt, eum esse creationis

causam efficientem primariam. Cùm nemo nesciat, hujusmodi locutiones, *per ipsum*, præsertim addito disertè eo, qui per ipsum fecit, nempe Deo, causam instrumentalem significare. Quia verò in creatione prima nullo Deus usus est instrumento, hinc apparet, de alia (ut sic loquar) factione & creatione sermonem esse, cùm ea Christo attribuitur. 6. Id, quod de Deo dicitur, ad Christum pertinere censetur, eò quòd, ad aliquid de Christo probandum, adducitur testimonium, in quo creationis cæli & terræ fit mentio. Cùm non novum sit, testimonia interdum adduci integra, nec tamen omnia eorum verba ad rem facere. Sed hæc hactenus. Si quid adversus hæc a Gravvero scriptum ad manus meas pervenerit, quod ab iis, quæ alii scripserunt, diversum aliquid contineat, non gravabor iterum, veritatis defendendæ causa, ad ista sufficienter respondere, donec tandem Deus efficiat, ut omnes agnoscant, Iesum Nazarenum non creatorem, sed filium creatoris esse, ut antiquitatem credidisse Theophilus Banosius, homo Evangelicus, cordatè testatur, his verbis: *Talis fuit institutio primitivæ Ecclesiæ: Vnum Deum eße creatorem universitatis, & Christum Iesum, ex virgine natum, filium Dei creatoris, &c.*

De politia civitatis Dei, & Hierarchia Romana.